



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**LEGVM PON||TIFICIARVM GRE-||gorij noni, seu  
Decretalium pentateu-||chus**

**Mesnart, Martin**

**Parisiis, 1555**

xxiii. De Donationibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63486](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63486)

*De Solutionibus. Tit. 23.*

**N**emo ecclesiam sibi commissam pro alienis <sup>2. Si quorundam.</sup> debitis grauato. literasve, seu sigilla quibus ecclesie obligari possent alicui concedito. Si secus adtentatum erit: ad solutionem talium debitorum ecclesie ne tenentor. Qui contra faxit ab administratione spiritualium & temporalium suspensus esto.

Sanè prælatus prædecessoris sui debita pro necessitate ecclesie contracta soluito. <sup>1. Ailhoc</sup>

Clericus super debitis conuentus si hæc recognoscet: etsi propter rerum inopiam in totum <sup>3. Odoardus.</sup> partemve soluere nequibit, ob idque excommunicatus erit, si tamen idoneè cauebit quod ad pinguiorem fortunam veniens ea persoluet, sententia ipsa relaxator.

Is qui indebitam pecuniam soluisse conquiretur, quod indebitè soluta fiet probato. At si aduersarius solutionem inficiens exinde conuictus erit: diffidenti, quod debitum recepit, probandi onus incumbito. <sup>4. Is qui</sup>

*De Donationibus. Tit. 24.*

**S**i quis debere se quod donat existumabit, & <sup>1. Prudentes.</sup> nisi in beneficiis suis creuerit nihil se præstitisse putabit: hæc vera nobilitatis lex esto.

In beneficiis autem hæc posita sunt. Itaque <sup>6. Cum dilecti.</sup> licet in contractibus quidem plena, in testamentis autem plenior interpretatio adhibeatur, certè in beneficiis plenissima adhibetor. vnde



## De donationibus

pluribus rebus datis, si prima donatio libera & pura atque immunis adparebit, post omnes autem in fine instrumenti clausula grauioris conditionis adposita erit: hæc ad posteriorē donationē aliās etiā determinatam potiūs refertor.

3. *Pertuas*

Sed & si quid ex terris ecclesiæ ab eius prælato ritè cuiquam in feudum donatum erit, certo modo designato qui postea mensura facta non reperietur: qui concessionem faxit, eiūsve successor donatario petente feudum ipsum ad eū qui ab initio adsignatus erit modum rectè integrato. Ecclesia in actibus suis fraudē ne adhibeto.

2. *Fraternitatem.*

Alioquin ecclesiarum prælati rerum ecclesiasticarum procuratores & non domini cū sient, conditionem ecclesiæ deteriores ne faciunt. Episcopus si quas graues donationes in rebus episcopatus sui in necem & fraudem ecclesiæ suæ canonicis suis inconsultis faxit: donationes huiusmodi ne teneto, qui successor eius erit olli eas tam à clericis quàm à laicis reuocare liceto.

3. *Ceterū.*

Cæterū si abbas cum priore & quibusdā de conuentu, solūsve donationem faxit, & post conuentus pars reclamasset: datæ rei quātitas, & loci consuetudo, dum ne sacris canonibus obuiet, diligentius attenditor. secūdum hæc donum ratum inritūme iudicator.

9. *Apostolica.*

Idcirco si quis episcoporum in parochia sua monasterium construere volt, ipsumque de rebus ecclesiæ cui præsidet dotare: amplius ibidē quinquagesima, ecclesiæ verò quā monasticis regulis informare, pro suisve propriis sepulchris magnificare voluerit, amplius centesima parte census ecclesiæ cui præsit ne elargitor. hæc



tamen ita temperanda æqualitas esto. Cui tribuet competens subsidium conferto. Cui tollet graua damna ne infligito. Alteram tamen quã volet ex his duabus liberalitatis speciem elegito. vnus etiam episcopus, aliũve nec tantũ, nec minus, simul, semel, pluries, aut successiuè, eisdem, diuersiue ecclesiis cum graui ecclesiæ suæ detrimento conferto. Si quod graue detrimentum de possessionibus seu prouentibus ad episcopale mensam cathedralẽve ecclesiam pertinentibus in quantalibet portione adlatũ erit, idq; ex facti ostensione parebit, neque præscriptione, aliãve exceptione legitima hæc actio excludetur: legitimè reuocator. Itaq; nec cētensima, nec quinquagēsima semel, vel successiuè cũ graui ecclesiæ dāno cōferto. Si verò adeo episcopus abundabit, vt sine damno ecclesiæ suæ amplius etiã his partibus necessitatĩ alterius ecclesię subuenire possiet: summã canonicã per se ne excedito. de superioris tamẽ autoritate pontificis etiam in maiori summa inopię alterius rectè prouidetur.

Ecclesiarum autẽ donationes seu concessiones siquidem priuatis viuentibus earum possessoribus factę erũt: nullius momẽti sunt. sin religiosi locis ab episcopo eiũve autoritate fiẽt: ratæ habentor. personæ tamen quę eas possidebũt sine ipsarũ adsensũ in vita sua ne spoliãtor.

4. Consultationibus.

Quod si sic episcopus consentiente patrono religiosi viris ecclesiã simpliciter concesserit: patronus quod suum est, id est ius patronatus, & episcopus quod temporale obtinebit in eadem

7. Pastoralis.



## De peculio clericorum

ecclesia, veluti si quam fructuum portionem recipiat, conferre intellegitur. hæc portio in eorum usus conuertitur. si ex eiusdem prouentibus nullam portionem habere debuerit: omnibus prouentibus præter cathedraticum eorum usus cedunt. ut autem episcopi donatio legitima fiet, capituli sui consensum requirito.

8. *Inter di-  
rectos.*

Si quod autem hospitale ab eius magistro & fratribus donatum alteri & adsignatum purè & simpliciter erit: hoc ratum esto. & si de re religiosa, si in fraudem, si periuros & excommunicatos se donationem fecisse allegabunt: hæc eorum contra factum proprium defensio ne recipitur. Episcopo tamen aliisve nullum inde præiudicium generator.

10. *Pro-  
pter.*

Resoluendæ donationis hæc species esto. Donatori propter eius ingratitude in quem liberalitas conlata fiet, si fors in ipsum manus impias iniecerit, aut olli atroces iniurias, seu graue rerum suarum damnum, vel vitæ periculum intulerit, eam reuocare liceto. Istuc tamen ad donatoris qui tacuisset hæredes ne porrigitur,

*De peculio clericorum. Tit. 25.*

3. *Ut unus  
quisque.*

**V**Nusquisq; presbyter quas res post consecrationis dies adquisierit propriæ ecclesiæ relinquito.

4. *Inqui-  
rendum.*

Inter viuos autem suo alieno ve nomine de facultatibus ecclesiasticis fraudem ne facito, neque de redditibus ecclesiæ, oblationibus, aut votis fidelium alieno nomine res comparato.

2. *Presby-  
ter.*

Presbyter enim cum diocesim tenebit, de his